



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118340**

§. 93. Pontificis monita a Galliarum Rege neglecta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

mam: hanc vero nuuc deficere. Magis <sup>Sæcul. XV.</sup>  
 adhuc exhaustum erat Alexandri æra- <sup>A.C. 1494.</sup>  
 rium, aliunde etiam is satis sibi com-  
 pertum habebat, quod perinde foret pe-  
 cunias illis commodare, ac eas dono  
 dare; opportune tamen eidem in men-  
 tem venit, quod Innocentius VIII. ejus  
 Prædecessor militiam sacram, quam cru-  
 ciatam vocant, in illorum regnis publi-  
 cari iussisset, cunctisque ad sustinendos  
 belli sumptus adversus Infideles concur-  
 rentibus concessisset Anni sacri gratias,  
 atque hac ex causa ingens pecuniarum  
 vis fuisset collecta dataque facultas Sedis  
 Apostolicæ Commissariis, ut pecuniam,  
 quæ penes eos deposita esset, annuente  
 tamen, ac jubente Curia Romana, Regi-  
 bus Catholicis concedere possent. Rex  
 ergo Catholicus hanc summam absque  
 Religionis sollicitudine in suos usus in-  
 sumebat, obtendens, quod ad interclu-  
 dendos aditus ad Dardanellarum fauces  
 classis omnino instruenda esset.

## §. XCIII.

*Pontificis monita a Galliarum Rege  
 neglecta.*

Interea temporis Carolus recuperandæ <sup>Comm. l. 7.</sup>  
 valetudini intentus Astæ hærebat, in <sup>c. 5.</sup>  
 qua urbe eum officii causa adibant Lu- <sup>Raynald. ad</sup>  
 dovicus, ejusque conjux, sed post bidui <sup>hunc ann.</sup>  
<sup>num. 16.</sup>

O o 5 moram

Sæcul XV.  
A. C. 1494.

moram Nonæum in Mediolanensi Ducatu uno lapide ab urbe Astenfi distitum sese recipiebant. His abeuntibus coram Rege singulis diebus Senatus habebatur; ubi vero Carolus iter aggrediebatur, quo proximior Italiæ, eo majorem non modo Neapolitanis, sed etiam Romanis ac Florentinis timorem incussit; Alphonsus enim Papam, Petrumque Medicæum ad suas partes pertraxerat. Equidem Alexander, ut discrimini sese subduceret, nil intentatum reliquit, hancque in rem literas dedit ad Cardinalem S. Eustachii, quem ad Carolum VIII. Apostolicæ Sedis Legatum a latere per quæcunque Italiæ loca, ad quæ Rex perveniret, decrevit, simulque vehementer hortatus est, ut Regem moneret, ne expeditionem adversus Neapolis Regnum prosequeretur; agebat enim, grassari in ea regione pestilentiam, ac timendum, ne in ditione Ecclesiastica ex ipsius præsentia civiles tumultus concitarentur, aut annonæ inopia tam validi exercitus adventu magis ingravesceret, vel forte Alphonsus defendendi regni sui causa Turcam in Italiam evocaret, atque ita Christianum imperium barbarorum crudelitati pateret. Hæc Pontificis epistola data est die decima quinta Octobris. Verum Carolus hisce Papæ suasionibus non modo surdas præbebat aures, sed etiam  
Cardi-

Cardinalem Legatum velut suspectum ad colloquium non admittebat, sed per suos Pontifici responderi jubebat, Pestilentiam se non expavescere, cum mors vitæ laboribus finem imponeret; nec metuere se famem, cum uberrimum commeatum secum illaturus foret; minus vero formidare se Turcam, eoquod ab ineunte ætate pro amplificanda fide adversus Turcas arma exercere voluerit, nuncque lætus ejusmodi occasionem prehenderet.

Sæcul. XV.

A.C. 1494.

Savita to. 5.

lib. 1. c. 30.

## §. XCIV.

*Caroli VIII. exercitus in Italia.*

Igitur superatis omnibus, quæ ob stare credebantur, impedimentis, Carolus die sexta Octobris Asta profectus est, comitantibus eum Vindocinensi, Montpensi, Longuevillano, Ligniacensi, Nivernensi Comitibus, aliisque quam plurimis spectatissimæ Nobilitatis Viris; absens tamen erat Cordæus Marescallus, qui Lugduni decesserat. Porro totum regii exercitus robur complectebatur ter mille sexcentos Cataphractos, & sex millia equitum sagittariorum, totidemque inter peditum agmina recensentur præter octo millia lanceariorum, totidemque aliorum peditum, partim ex Helvetia, partim ex Vasconia delectorum, qui omnes confertim, ac collato pede præ-

Machiav.  
hist. Flor. l. 1.Raph. Volat.  
lib. 3.